



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Iosephina Lvcernensis

**Reiß, Jacob
Tschan, Jacob**

Constantiae, 1658

M. Teresia De Iesv Benevolo Lectori Salvtem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9773



M. TERESIA DE IESV BENE-
VOLO LECTORI SALVTEM.

IOSEPH, (cujus Elogia tibi in hac IOSEPHINA exhibentur, & multa, & magna) precipuus est corporis atq; animæ meæ Pater, Patronus, & Medicus. Hunc ego ante alios omnes amo, veneror, & prosequor honore. Hunc ab alijs agnosci, laudari, & invocari, vnicè desidero. Hunc palam pronuncio, Fundatorem esse Ordinis mei, cui me, meaque omnia, & quotquot sequuntur me, post Deum ac Deiparam, summè debeo. Hunc olim in omnibus itineribus meis fortissimum habui custodem, comitem, ac ducem, illò maxime tempore, cum per Morena abrupta, aspectabili formâ, me, measque Sorores, è presenti mortis discrimine eduxit. Hunc etiam omnium meorum Cœnobiorum Patrem familias liberalissimum, nec sine prodigijs, experta sum, ideòque ad eorum portas, eminentiore loco, constitui Statuam, vel imaginem, Sancti, ne aliquando Beneficiorum, aut gratiarum posterè obliuisci possint. Ego certè iterum iterumque protestor, adjutam me ab ipsò in omnibus fuisse. Imò, quæ meæ fiducia est, audeo hujusmodi auxilium polliceri alijs quibuscunque, qui eum sibi Patronum adsciuerint. Quare age, experire vnà mecum, quod ego toties experta sum, vt incredibile dictu videatur, è quam multis me periculis seruanerit. Constituit profectò Deus IOSEPH vniuersalem Patronum nostrum, eòque locò nunc habet in cœlò, quò habuit in terrâ, vbi ipsi ac MARIÆ per tot annos fuit subditus. Idq; ego præcipuè coram totò mundò

A 5

testari

restari possum ; quæ nulla vnquam in re deserta ab hoc Patrono fui. Est autem imprimis festus ille dies , quem eius honori Pontifex decreuit , commemorandus mihi ; quidquid enim id temporis petij , id ego , aut etiam melius aliquid , semper impetraui. At neque , alios impetraturos esse vota sua , sinit dubitare me , tum mea , tum aliena experientia. Quapropter omnes hisce denuo admoneo , vt animum tandem suum omnem , ad talis tantique Patroni venerationem , inclinent. Quos ego , libris quoque in laudem Sancti scriptis adiuuare cuperem ; verum mea me conditio prohibet , ne quid audeam viribus maius. Ergo hoc vnum precor , serioque exopto , IOSEPH vti Patronum accipias , atque reipsa comprobes. Cinget ille te quoque cyclade , monili , ac cruce incomparabilis formæ ac pretij. Nam idem dum mihi à munificâ eius manu obuenit , aliud cogitare non possum , quàm Te quoque , exemplò nostrò , siquidem imitari velis , aliquando exornatum iri. Ille tibi orandi Magister erit optimus : ille tibi monstrabit Filium Dei , ille MARIAM Matrem eius ostendet , ille denique Virtutes paulatim omnes , peccatori tuo inseret ; desigétque. Vale , & hoc affectu , quò è vitâ meâ olim à me scriptâ hæc pauca repero , lege , quæ sequentur , Elogia Iosephinæ Lucernensis. Ex cœlesti Ierusalem.

M. TERESIA
de IESU.